

DE

RATIONE ET INDOLE LATINAE POESIS

IMPRIMIS VIRGILIANAE.

Vix ullum praeterquam Romanos populum invenies, qui quam in excolendis bonis litteris laudem meruerit, soli imitationi acceptam referre credatur. Nihilominus litterae Romanae per tot saecula propagatae non modo maximam inter omnes populos famam sibi peperere, sed etiam quantum aliquando ad instaurandum bonarum artium et humanitatis studium momenti attulerunt, tantum etiam nunc valent possuntque ad idem illud conservandum, quamvis vel ii, qui quam maxime in exaggerandis et collaudandis Romanis desudarent, id unum tamquam scopum propositum secuti videantur: nihil ut propriae laudis inventionis iis relinquereent *). Id sine dubio contentis sexti decimi saeculi sqq. commentariis apparet. Satis erit in hanc rem Lambini, Burmannorum, aliorum commentaria citasse. Neque hoc iniuria factum videtur. Quis enim nescit, quantopere Romani scriptores ipsi praedicandis se Graecis addixerint, dederint, devoverint. In omnium, qui vel leviter Romanas litteras gustarunt, versantur ore laudes Graecis a Romanis exhibitae**). Hos unos lectu dignos, hos unos sequendos, hos unos admirandos esse pertinaciter praefraceteque affirmant. Haec opinio tam firmiter omnium animis Romanorum insedit, ut vel ii, qui ab initio Graecos abhorrerent eosque tamquam cane peius et angue odissent, re tandem confiteri cogerentur incogitantia se quadam ductos Graecorum famam attentasse.

*) Iam Macrob. Sat. V, 2. Quae Virgilius, inquit, traxit a Graecis, dicturumne me putatis quae vulgo nota sunt? Quod Theocritum sibi fecerit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum? et quod in ipsis Georgicis tempestatis serenitatisque signa de Arati Phaenomenis traxerit? vel quod eversionem Troiae cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus quae librum secundum faciunt a Pisandro paene ad verbum transscripserit? qui inter Graecos poetas eminent opere, quod a nuptiis Iovis et Iunonis incipiens universas historias, quae mediis omnibus saeculis usque ad aetatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coactas redegerit et unum ex diversis hiatibus temporum corpus effecerit? in quo opere inter historias ceteras interitus quoque Troiae in hunc modum relatus est, quae fideliter Maro interpretando fabricatus est sibi Iliacae urbis ruinam. Sed et haec et talia ut pueris decantata praetereo. Iam vero Aeneis ipsa nonne ab Homero sibi mutuata est errorem primum ex Odyssea, deinde ex Iliade pugnas? quia operis ordinem necessario rerum ordo mutavit. sqq.

***) Nota sunt dicta Ciceronis, Horatii, aliorum; at egregium sane iudicium Naekii (Choeril. fragm. pag. 40) transscribere libet. „Tam egregia fuit antiquorum Graecorum poesis, tam firmo ab

Quid multa? ita affirmare et contendere licet, Romanos imitatione Graecorum nisos suas litteras et peperisse et excoluisse et ad id, quo eas iam collocatas videmus, evexisse fastigium. At vero quum multi multis abhinc saeculis studuerint demonstrare Romanos plane a Graecis suspensos fuisse, neque tamen intermiserint, quin illos imitatores tamquam classicos scriptores suspicerent magnique facerent, mirari sane subit, cur oppido pauci duntaxat reperti sint, qui extricare vellent, quid in hac imitatione Graecorum Romani peculiare sibi suo iure arrogare possent. Neque enim infitias ire licebit Romanos, si sola imitatione nisi laudem sibi comparassent, vix dignos posse putari, qui tantopere praedicarentur. Certe in omnibus artibus ea lex plurimum valet*), imitatores nusquam fere exemplar, quod sequerentur, omnibus numeris expressisse et eorum opera vel ingeniosissima, si cum archetypis compararentur, obfuscata iacere. Quod in Latinis locum non habere quemque natura ipsa cogit largiri. Verum enim si esset Romana imitamenta prae exemplaribus Graecis futilia videri, nae ableganda illa et abiicienda essent redeundumque ad exemplaria Graeca, nisi quis ea forte autumaret ob aliquam utilitatis speciem retinenda.

Iam si eas vias perscrutati, quas Romani in Graecorum scriptorum imitatione ingressi sunt, opera illa examinamus, quae ut ita dicam periclitabundi composuerunt, intento quasi digito commonstrare licebit eos scriptores, qui primi ad Graecorum imitationem se contulissent, tantum abesse a laude aliqua ingenii, ut eorum opera Cicero vix digna iudicaret, quae iterum legerentur. Hoc manifeste aperteque indicat Romanos post multa de suo ingenio et addidisse et attulisse ad imitationes suas. Atque hoc quidem mihi proposui expiscari, quid sit quod Romani poetae de suo attulerint in quaque re vera natura et indoles Romanae poesis videri debeat**). Et facile quidem commemoratione omnium

excellentissimis ingeniis ars imposita fundamento, ut etiam in seros et mediocres poetas aliquid inde fructus redundaret; et longum praeteriit tempus antequam externa poeseos atque artis species penitus exstingeretur, quam deinde Alexandrini artificio et intentiore cura renovare studuerunt."

*) Lessingius in Laocoonte p. 46. (Lipsiae ap. Goeschen. 1841): *Ist der Nachahmer ein Mann, der sich etwas zutraut, so ahmt er selten nach ohne verschönern zu wollen; und wenn ihm dieses Verschönern nach seiner Meinung geglückt ist, so ist er Fuchs genug, seine Fußstapfen, die den Weg, welchen er hergekommen, verrathen würden, mit dem Schwanz zuzukehren. Aber eben diese eitle Begierde zu verschönern und diese Behutsamkeit original zu scheinen entdeckt ihn. Denn sein Verschönern ist nichts als Uebertreibung und unnatürliches Raffiniren. — So geht der Nachahmer immer aus dem Grofsen in's Ungeheure, aus dem Wunderbaren in's Unmögliche. — Zu verbergen sucht sich der Nachahmer gewöhnlich dadurch, dafs er den Gegenständen eine andere Beleuchtung gibt, die Schatten des Originals heraus- und die Lichter zurücktreibt.*

***) Eaque sine dubio in oratione conformanda posita est, in qua si non Romanae poesis laudem contentam esse credamus, certe in argumenti novitate et tractatione non invenietur. Subit profecto, inquit Wolfius in Leptin. p. XXXVIII., mirari quae ratione apud tam multos per tot

scriptorum, qui ante sua opera ediderunt quam Romani notitiam Graecorum contraxissent, supersedere me posse iudico. Quid enim lectu dignum, quid plausibile exprompserunt illi, qui carmina Salaria, axamenta, versus Fescenninos, fabulas Atellanas, cetera versu illo tortuoso et paene inexputabili Saturnio conglutinant. Tempora ipsa, et procul dubio recte illa opera oblitterarunt.

Primus Romanos cognitione Graecorum imbuere ausus est Livius Andronicus, qui Odysseam Latinam fecit*). Eum Naevius secutus est, qui non acquiescens in solis vertendis Graecis ad historiam Romanam recurrit, ut tamquam magnitudine et amplitudine argumenti quod decantandum sumpsisset, opus aliquod excellens conformaret. Omnes vero qui praecesserant laudē ingenii praestitit Ennius**), qui quum et ipse argumenta e Romana historia petita caneret, quae orationi ad perfectionem deesse ipse videret, argumenti gravitate, sublimitate, ubertate compensare lectorumque animos his lenociniis demulcere studeret. Ad derelictos Graecos rediit Plautus, quamquam in nonnullis comoediis suis esse voluit. Inde ab hoc Latinorum scriptorum classicorum ordinem auspicari possu-

aetates hoc in eadem forma et argumento cum antiquis aemulandi studium vigerit. Siquidem ipsa necessitas eandem rem aliis atque aliis verbis et sententiis explicandi non erigit illa animi vires sed frangit et debilitat. Atque in artibus iis, quae praecipue sensu pulchritudinis reguntur, ita omnino videtur natura comparatum esse ut qui primi ad eas ingenium applicuerunt, si modo ab ipsis electio optimorum facta est, spem gloriae ex eodem genere petendae secuturis quamvis aequae ingeniosis facillime praecidant. Adeo illi classi antiquorum suam placendi sortem suumque principatum obtigisse dicas, non ex sola praestantia ingeniorum sed ex quadam etiam fortuna temporum. — Romani inveniendis et novis argumentis et novis argumenti alicuius tractandi rationibus ita non apti erant ut recte dixeris eos pulchritudinem in rerum natura vel vitis hominum obviam aut non animadvertisse omnino aut utique non percepisse quam vim ad hominum animos haberet. Haud absurda sunt in hanc rem verba auctoris Dialogi de oratoribus c. X.: Quotusquisque enim cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit et semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam videret." Profecto omnes Romani manserunt dimidiati ex parte Mummii. Sola pulchritudo verbis distinctis iam expressa vim ad eorum mentes habuit eamque solam ipsi verbis refingere aggressi sunt.

*) Qua ratione hoc munere functus sit, testantur versus, quos Bernhardyus attulit:

Ὅν γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
 ἄνδρα τε συγγεῖαι, εἰ καὶ μάλα καστερός εἴη, in hunc modum translati:
 namque nilum peius
 Macerat hemonem quamde mare saevom: vires quoi
 Sunt magnae, topper confringent importunae undae.

**) Macrob. Sat. lib. VI, 3. Homerica descriptio est equi fugientis in haec verba:

(II. 6, 508.) Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
 θεσμὸν ἀπορήξας θείῃ πεδίῳ κροαίων,
 εἰσθῶς λούεσθαι ἐν ῥέειοις ποταμοῖο,
 κνυδίων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χεῖται
 ὄμοις ἀίσονται· ὁ δ' ἀγλαΐφρι πεποιθώς,
 ῥίμφα ἔ γούνα φέρει μετὰ τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

1 *

mus, eorum dico, qui in vestigiis a Graecis monstratis insisterent. Licet igitur huius imitationis Graecorum tres formas procedere. Etenim qui se ad Graecos scriptores applicuerunt aut id propositum habebant, ut, nulladum suffragante legum Latinae linguae intelligentia, Graecam poesin Latine loquentem facerent aut, intellecto quidem magnum discrimen esse ut inter Graeca opera et Latina, sic inter indolem Latinae Graecaeque linguae nec tamen differentia illa penitus perspecta, ad aliud argumenti genus atque Graeci descenderent, ratiue diversitatem illam inde oriri, quod argumenta ut plane incognita auribus Romanis Romanos non eadem qua Graeca Graecos lenitate demulcerent, ad argumenta Romanis consueta et accepta se conferrent. At neque hi, ut usus docet, opera excellentia pepererunt*). Iam sequebatur tertia aetas qua intellectum est neque in sola imitatione linguae et sermonis neque in argumenti magnitudine veram laudem contineri, at maximum momentum ad laudem promerendam positum esse in bene perspecta diversitate ingenii indolisque Latinae Graecaeque linguae. Indidem hi non amplius solliciti erant, quomodo Graeci invenissent, qua ratione locuti essent et argumenta explicassent, sed id unum ambiebant, qua ratione convenienter ingenio et indoli Latinae linguae loquendum esset. Atque qui de imitatione Graecorum tradit, non potest non digitum intendere in hos ratione ductos imitatores, qui et intellexerint et operibus suis patefecerint, quid valeret lingua Latina, quid ferre recusaret.

Etenim lingua Graeca ut orationem pedestrem ad formam poeticam traduceret, tot tantisque subsidiis utebatur, vix ut ulla lingua cum ea comparari posset. Magna fuit farrago eorum vocabulorum, quae solis poetis relicta essent; magna abundantia adiectivorum, quae sensuum essent movendorum; magna uti-

Ennius hinc traxit :

Et tum sicut equus qui de praeseptibus fartus
Vincula suis magnis animis abruptit et inde
Fert sese campi per caerulea lactaque prata
Celso pectore, saepe inham quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Nemo ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum scabri nobis videntur; ille enim stylus Enniani saeculi auribus solus placebat: et diu laboravit aetas secuta, ut magis huic molliori filo acquiesceretur.

- *) In mentem revocant haec conamina Romanorum similem quandam inscitiam Francogallorum, inter quos ii, quos classicos nominare moris est, falsa interpretatione legum quamvis iustissimarum poesis dramaticae opera sua perverterunt. Aristoteles enim, qui leges dramatis fixerat, legem quam vulgo dicunt de unitate temporis et loci invenit. Francogalli perperam hanc legem interpretati eo pervenerunt ut res maxime ridiculas concinnarent et sua dramata portentis quasi ingenii complerent. Eodem modo rati pedestrem orationem aliam, aliam poeticam esse debere, id quod nemo dum infitias ivit, hanc diversitatem in omnibus vocibus et locutionibus, quae vitae communis essent, quaesiverunt atque operam dederunt, ut evitarent quicquid pedestris orationis commonefacere posset vel potius quicquid cum pedestris orationis more quodammodo concineret. Quod vitium etiam nostrates quidam admiserunt, ut Ramlerus hic illic, alii.

litas redundabat ex multitudine formarum grammaticarum; magna fuit facilitas vocabulorum duplicandorum; magna ubertas particularum ad levissimos sententiae recessus perscrutandos; magna modulatio syntaxis ad quoslibet sententiarum flexus et curvaturas exserendas; latae denique suppetiae in dialectorum varietate et in vocibus antiquis redintegrandis. Haec fere omnia secus fuere in Latina lingua *). Itaque Romani quum ab initio credidissent omnium linguarum easdem esse leges quaeque in lingua Graeca licerent et laudem mererent, itidem Romanam decere et plausum ferre: multis opus erat perversis praeposterisque conaminibus, donec intelligerent Romanos Graeca opera imitari sed Romano more modoque debere. Hoc discrimine intellecto Romani eo incubuerunt, ut naturam et ingenium Latinae linguae pernoscerent et secundum leges suae linguae Graecos rivulos in suos hortos derivarent. Atque eorum quidem scriptorum signifer et princeps coepit esse Plautus; qui vero hanc, ut ita dicam, legibus adstrictam imitationem inter Romanos omnibus numeris consummavit, iudicandus est Virgilius. Inde a Virgilio novus rerum vertitur ordo et scriptores, tenui mora interposita, iam non magis ad Graecorum quam ipsorum Romanorum imitationem se conferunt. Eorum autem seriem Ovidius **) auspicari videtur, a quo recte Romanae litterae ab similitudine Graecorum recedentes in se stare suisque viribus confisae vivere et vigere occipiunt. Licet enim Graecos hic legerit, Graeca argumenta crebro tractarit, tamen a legibus poesis et natura profecto cuique modo paululum arrisere Musae, facile se exhibet perspicendum, haec vestigia ea esse, ut eodem iure quemlibet poetam nescio cuius antiquioris vatis imitatore dixeris. Itaque si verum quaeris, ea aetas, quam argenteam nominare usu receptum est, sola Romana nuncupanda est. Qua in re tantopere falluntur qui ab Augusti temporibus linguam Latinam ad exitium ruere dicant, ut luculentissime patefiat quod sit sincerum ingenium Romanorum, quo vinculo, quibus legibus omnes Romanae artes et litterae contineantur ***).

*) Quinctilian. Inst. I, 9. Sed res tota (compositio) magis Graecos decet, nobis minus succedit, ideoque quum *αυτοψυχα* mirati sumus, incurvicervicum vix a risu defendimus. I, 12. Virgilium amantissimum vetustatis nominat. Sed quid sibi volunt paucae illae formae, ut olli, repostus, farier, dominarier, miscerier, aulai, aquai, gradior, direxti, exstincti, faxo, exstinxem, alia, quae quidem formae in eius carminibus ut cymba in Oceano natate videntur. — VIII, 6. ornat *ἐπιθερον* et eo poetae et frequentius et liberius utuntur — quamquam non singula modo sed etiam plura verba apponi solent, ut: Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo; sed hoc quoque modo duo verba uni apposita ne versum quidem decuerint. — De verbis a vetustate repetitis cf. I, 10.

**) Ut decuit poetam, qui de se ipse dicit: Quidquid conabar dicere versus erat; profecto Virgilio et Horatio non eadem de se praedicare licuit.

***) Manso in dissertatione quae est de ingenio litterarum Romanarum: „Wenn die Römer, was Niemand leugnet, die gelehrigen Schüler der Griechen waren, so waren sie es doch in keiner andern Art und weder ängstlicher noch slavischer als die sämtlichen jetzt schreibenden Völ-

Sed fines lege huic scriptiunculae positi me iubent ab hac disputatione decedere, ut ad ea veniam, quae me explicaturum esse recepi, ac demonstrarem, quibus artibus Romani usi sint, ut ad suam linguam accommodate Graeca adhiberent. Id autem praefandum videtur, nihil hic dictum iri de ratione inveniendi, de tractatione argumenti, de laude poetica Romanis vindicanda, sed de sermone poetarum et iis subsidiis quibus Romani usi sunt, ut pedestrem orationem ad poeticam formam effingerent. Atque id quidem aggressi sumus Virgili carminibus expiscandis evincere, ut quem et Romani ipsi poetam omnibus numeris absolutum habuerint et nos iam dixerimus imitationis huius naturam aptissime reserare.

Iam ut ab initio statim indicemus, quae sit suprema lex Romanae poesis, haud scio annon iniuria eam analogiam vocabulorum et sententiarum et credo sonorum etiam dixero *). Quemadmodum enim Graecae poesi rerum hominumque tamquam penicillo ad vivum expressam repraesentationem, quam Graeco vocabulo *πλαστικὴν* appellant, Arabum poesi allegoriam et symbolicam rationem, Indorum poesi phantasiae quandam exsuperantiam, Hebraeorum poesi sententiarum quandam *ἐξεργασίαν*, quam quidem in illis *παράλληλισμὸν* vocant, propria esse dicunt: sic, credo, Romana poesis habere censenda est, quod et suum

ker Europa's. Aber es gibt allerdings in der Litteratur der Griechen und Römer eine Verschiedenheit, die für die künstlerische und wissenschaftliche Würdigung beider gleich bedeutend und darum einer besondern Aufmerksamkeit werth ist. Die griechische Litteratur geht, mit seltner Ausnahme, von ihrem Homer bis herab zu den Bukolien ihres Theokrit auf die Ergreifung dessen, was ist, die römische auf die Ergreifung dessen, was wirkt. In der griechischen walten Unbefangenheit, Natur und Wahrheit, in der römischen Absichtlichkeit, Anstrengung und Kunst vor. Die eine tritt ohne Ansprüche auf und ist ihres Eindrucks gewiß; die andere will bemerkt sein und erreicht ihr Ziel weniger." Vera falsis immixta. Non explicatur unde Romanae litterae speciem quaesiti et efficaciae praeposterae indeptae sint. Id quod laudem et intimam naturam Romanae poesis continet eique favorem posteritatis promeruit, vitio datum. At inest his verbis tacita confessio eius, quod proprietatem Latinae poesis efficit. Quisque enim Latinos poetas legens quandam exuberantiam et verbositatem sibi deprehendere recte videbitur. Verbosiores sane se praestant, quam res, quas scribunt, postulare videntur. Idque Manso ita explicavit, Romanos captare ut oratio magnos ad legentium animos effectus habeat.

*) Non plane eodem significatu Quinctilianus I, 9. analogiam dixit: „Eius (analogiae) haec vis est ut id quod dubium est ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat et incerta certis probet." Sed et theologi analogiam fidei loquuntur. Vitium illius quam diximus analogiae virtuti vicinum exagitat Quinctil. VIII, 2. Est etiam in quibusdam turba inanum verborum, quidam communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate, quae dicere volunt, ipsam deinde illam seriem cum alia simili iungentes miscentesque ultra quam ullus spiritus durare possit extendunt (al. excedunt). Neque *ταυτολογία*, neque *ὁμολογία* neque *μακρολογία*, neque *πλεονασμὸς* neque *περιεργία*, quas figuras Quinctilianus recenset, satis accommodate dici poterant. Melius fortasse dixeris *συναθροισμὸν*, quem Quinctil. VIII, 2. unius rei multiplicationem esse dicit.

nominet neque cum ulla alius populi poesi communicet. Et haec est quam analogiam appellare placuit. At vero quum analogiam Latinae poesis proprietatem esse dicam, non dubito, quin futuri sint qui mihi nescio quot locos Latinorum poetarum obiiciant, in quos illa non cadat. Scilicet in Hebraeorum, Arabum, Graecorum, Britannorum, Francogallorum, aliorum poesi nihil omnino invenitur quod non unius populi proprium, sed omnium linguarum commune recte dixeris.

Scimus recentium populorum poesi tantum non necessarium esse homoeoteleuton. Iam ut homoeoteleuta eundem sonum bis revocant itaque suaves auri-
bus tinnitus exhibent, sic in Romanorum reperimus poesi hoc quasi homoeoteleuton sententiarum et vocum ita comparatum, ut non magis aures quam mentem et intellectum voluptate quadam titillet*). Ordiamur a nonnullis sententiis.

Aen. IV, 285. Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc

In partesque rapit varias perque omnia versat:

Haec alternanti potior sententia visa est.

Ἔως ὃ ταῦθ' ὄρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἦδε δέ οἱ φρονέοντι ἀρίστη φαίνεται βουλή.

Alter locus est Aen. I, 392.

Ni frustra augurium vani docuere parentes.

His duobus locis contentis iam intelligetur quid sit quod analogiam dixerimus. Quum Homerus simplicissime sententiam suam exprompserit acquiescens in sola repetitione vocabulorum similium κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν, reliqua leniter et sine ambagibus devolvens, Virgilius hanc sententiam triplici modo exprimere, describere, depingere conatus est, ut eam animo et sensibus penitus mandaret. Alter locus uno vocabulo rescisso plane prosarium colorem habet: Ni frustra parentes augurium docuere. Omnis vis irrelita tenetur solo vocabulo: vani. Tantum autem abest ut hoc vocabulum per se vim aliquam poeticam contineat, ut contra: ni vani parentes augurium docuere non minus prosarie defluat, quam quod primo loco posuimus. Immo vis poetica posita est in coniunctione vocabulorum frustra et vani. Et sic fere ubique reperitur, Latinos poetas eandem sententiam diverso modo explicare et dilatare studere aut certe aliquod vocabulum ex abundantia cum levi sensus affectione sententiae inculcare. At utique, verum si quaeris, non sine prudenti quadam perpensatione id factum videmus a Romanis. Itaque omnibus his perpensis analogiam dicimus esse, quum oratio ita conformetur, ut sensa interno quodam sentiendi cogitandique vinculo iuncta et

*) Huius artificii ea vis est ut vel sententiae quae alioquin exiles et languidae videri debebant, saltem eius artificii beneficio tolerabiles evadant. Unum sufficiat attulisse exemplum.

Aen. V, 73. Sic fatus velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Aestes.
Hoc puer Ascantus; sequitur quos cetera pubes.

Quam ieiuna et trivialis sententia; at quantopere haec exilitas infringitur analogia! primum enim ter repetitur „hoc“, dein aevi maturus et puer sibi opponuntur. Nam id quidem intelligitur, repetitionem illam, quam anaphoram nominare Grammaticis placuit, eandem etiam analogiae speciem esse, ut plurimae figurae quas Grammatici comminiscuntur.

copulata teneantur ac sententia sententiam, vox vocem peperisse quidem sed non cum cogitandi necessitate poetae expressisse videatur.

Iam singula ordine circumspiciamus.

Eadem sententia pluries effertur. Sic enim fit ut et sententia quae per se vel nimis audacter dicta vel salebrosa videri possit, ex vicinitate alterius sententiae et tolerabilis evadat et nitore quodam commendetur, quippe quod sententia illa non solum mente intelligatur, sed etiam acrius persentiscatur, non tam ob repetitionem animo et mente quam sensu mentis ad intelligendum necessario *).

- Aen. 1, 265. Tertia dum Latio regnantem viderit aestas
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
607. In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
10, 745. Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem**).
1, 494. Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet obtutuque haeret defixus in uno.
546. Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris.
411. At Venus obscuro gradientis aere sepsit
Et multo nebulae circum dea fudit amictu.
415. Ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit
Laeta suas.
420. Mons, qui plurimus urbi
Imminet adversasque adspectat desuper arces.
440. Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios miscetque viris neque cernitur ulli.
450. Hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus et adfluctis melius confidere rebus.
2, 554. Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum Sorte tulit.
88. Dum stabat regno incolumis regumque vigeat Conciliis.
3, 314. Vix pauca firenti
Subiicio et raris turbatus vocibus hisco.
1, 503. Talis erat Dido, talem se laeta ferebat.
535. Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit penitusque procacibus austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit.

*) Non inepte compararis Goethium in dialogo qui est de veritate et similitudine veri in operibus artis obvia: *Und ich darf Ihnen darauf versetzen, dafs, wenn wir von Wirkungen unseres Geistes reden, keine Worte zart und subtil genug sind und dafs Wortspiele dieser Art selbst ein Bedürfnis des Geistes anzeigen, der, da wir das, was in uns vorgeht, nicht geradezu ausdrücken können, durch Gegensätze zu operiren, die Frage von zwei Seiten zu beantworten, und so gleichsam die Sache in die Mitte zu fassen sucht.*

***) Simpliciter apud Hom. II. XI, 241. Ὡς ὁ μὲν αὐθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον. cf. Macrobian. V, 11.

- Aen. 1, 562. Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
 571. Auxilio tutos dimittam opibusque iuvabo.
 567. Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni
 Nec tam aversus equos Tyria sol iungit ab urbe.
 540. Hospitio prohibemur arenae,
 Bella cient primaque vetant consistere terra*).

Totum dispescitur in partes; cuius figurae simplicissima forma, nostris auri-
 bus vix tolerabilis, cernitur in numeris, ut si quis bis senos pro duodecim di-
 cat**). Multis in locis sententia secundo loco explicatius dicitur***).

- Aen. 1, 408. Cur dextrae iungere dextram
 Non datur ac veras audire et reddere voces i. e. colloqui.
 416. ubi templum illi, centumque Sabaeo
 Ture calent arae sertisque recentibus halant.
 421. Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
 Miratur portas strepitumque et strata viarum.
 461. Sunt hic etiam sua praemia laudi,
 Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.

*) Haec duo exempla docent quantopere intelligentia metaphorae paullo obscurioris analogia
 adiuvetur et audacia eius elevetur.

***) Quintil. IX, 3. Ex eadem parte figurarum additio et abiectio est; illaque prior videri potest
 supervacua, sed non sine gratia est:

Nam neque Parnassi nobis inga, nam neque Pindi.

Potest enim deesse alterum. Et apud Horatium illud:

Fabriciamque, Hunc et intonsis Curium capillis.

***) Virg. Aen. 2, 222:

Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
 Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
 Taurus et incertam excussit cervice securim.

Quamquam adiecta comparatione satis patefieri debebat clamorem horrendum fuisse ideoque
 ex abundanti illud adiectivum positum est, non tamen negandum videtur haec ex regulis
 Latinae poesis dicta esse. Aliter Homerus II. XX, 403.

αὐτὰρ ὁ θυμὸν αἰσθε καὶ ἤρην γεν, ὡς ὅτε ταύρος
 ἤρην γεν, ἐλκόμενος Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα
 κούρων ἐλκόντων γάννται δέ τε τοῖς Ἐνοσίχθων.

Item Virg. Aen. III, 672.

Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
 Intremuere undae penitusque exterrita tellus
 Italiae curvisque immugit Aetna cavernis.

Immensus sine dubio clamor esse debet, qui tantos effectus habeat; cur igitur additur im-
 mensus? Homer. II. V, 860.

ὁ δ' ἔβραχε γάλακτος Ἄρης,
 ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
 ἄνδρες ἐν πολέμῳ. cf. II. XX. 49. αὖτε δ' Ἀθήνη
 σταῖς ὅτε μὲν παρὰ τάφρον ὄρουκτὴν τείχεος ἐκτός,
 ἄλλοτ' ἐπ' αὐτῶων ἐριδούπων μακρὸν αὖτει.
 Αὖτε δ' Ἄρης ἐτέρωθεν, ἐρξεν ἡ λαίλαπι ἴσος.

Minervam dicit immane clamasse; Martem adiecta comparatione, non item. Hanc rem exagitat
 etiam Horatius in libro qui est de art. poet. reprehendens poetam nescio quem, qui exorsus
 erat: Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. Quid enim? Nonne poeta toto carmine
 suo evincere debebat bellum nobile fuisse, non vero bellum ante nobile appellare quam
 intelleximus fuisse.

- Aen. 1, 327. Namque haud tibi voltus
Mortalis nec vox hominem sonat.
331. Et quo sub coelo tandem, quibus orbis in oris Iactemur.
500. Qualis in Eurotae ripis aut per inga Cynthi.
371. Suspirans imoque trahens a pectore vocem.
465. Multa gemens largoque humectat flumine voltum.
475. Infelix puer atque impar congressus Achilli.
491. Penthesilea furens mediisque in millibus ardet.
516. Dissimulant et nube cava speculantur amicti.

Eadem notio bis legitur aut nude aut explicatius aut parce detorta.

- Aen. 1, 407. falsis ludis imaginibus.
G. 2, 71. Ornusque incanuit albo Flore piri.
Aen. 2, 82. Et incluta fama gloria.
6, 738. Multa diu concreta modis inolescere miris.
1, 429. immanisque columnas
Rupibus excidunt scenis decora alta futuris.
430. Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor.
436. Redolentque thymo fragrantia mella.
471. Tydides multa vastabat caede cruentus.
482. Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
515. avidi coniungere dextras ardebant.
165. Horrentique atrum nemus imminet umbra.
171. Magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troes arena.
185. Hos tota armenta sequuntur A tergo.
249. Nunc placida compostus pace quiescit.
295. Fremet horridus ore cruento.
349. Impius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat.
352. vana spe lusit amantem.
595. cunctisque repente Improvisus ait.
5, 331. Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo.
5, 133. Ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori.
12, 325. Subita spe fervidus ardet.
10, 578. Haud tulit Aeneas tanto furore furentes.
11, 299. Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
754. Arrectisque horret squamis.
3, 25. viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras.
2, 544. Telumque imbelles sine ictu coniecit.
3, 565. Subducta ad Manis imos desidimus unda.
4, 17. Postquam primus amor deceptam morte fefellit.

Alia forma petitur ex coniunctione dissimilium; haec forma non infrequens est, praesertim apud poetas argenteae aetatis, qui his antithetis tamquam luminibus quibusdam orationem distinguere solent.

- Aen. 1, 406. tali fugientem est voce secutus.
493. Audetque viris concurrere virgo.

- Aen. 1, 192. Nec prius absistit quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi.
222. Revocate animos moestumque timorem Mittite.
210. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
285. victis dominabitur Argis.
291. Aspera tum positis mitescent saecula bellis.
298. Ut terrae utque novae pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret.
G. 1, 465. Cum caput obscura nitidum ferrugine textit.
G. 3, 199. Lenibus horrescunt flabris.
1, 43. Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur.
Aen. 9, 335. Et rebus succurrite fessis.
12, 811. Digna indigna pati.
5, 583. Inde alios ineunt cursus aliosque recursus.
4, 190. Et pariter facta atque infecta canebat.
6, 100. Obscuris vera involvens.
4, 437. Talibus orabat talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror.
1, 66. Et mulcere dedit fluctus et tollere vento.

Licet autem hae sint frequentissimae formae, quas peculiare linguae Latinae recte dixeris, tamen multum abest, quin haec sola analogia poeticam orationem pariat. Namque si poeta nullo modo a receptis consuetisque pedestris orationis vocabulis et locutionibus recederet, ipsa carmina etiam valde languida et ieiuna viderentur, ab abundantia taediosa. Itaque opera etiam danda erat poetis ut vel servata abundantia illa orationis a pedestri sermone elocutionem suam deflecterent. Id iam his fere modis assecuti sunt*).

Poetae duo eiusdem sensus substantiva iuxta ponunt, ut alterum alterius intellectum adiuvet.

- Aen. 1, 2. Italiam — Lavinia littora.
13. Italiam contra Tiberinaque longe ostia.
25. Causae irarum saevique dolores.
41. Unius ob noxam et furias.
53. Luctantis ventos tempestatesque sonoras.
54. Ac vinclis et carcere frenat.
61. Molem et montes insuper altos.
80. Nimborumque facis tempestatumque potentem.
111. In brevia et Syrtis arguet**).
130. Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
151. pietate gravem ac meritis virum.
7, 354. Ventis dant colla comasque.
2, 89. Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.
1, 718. Haec oculis, haec pectore toto haeret.
7, 534. Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.

*) Omnes eae formae hic silentio transibuntur, quas in Latino sermone Graecismos appellamus.

***) Hoc exemplum indicio est saepe obscurius vocabulum adiectione alterius explicari itaque eius insolentiam refrigescere.

- Aen. 6, 68. Errantisque Deos agitataque numina Troiae.
 5, 788. Troiae cineres atque ossa peremptae Insequitur.
 G. 3, 56. Nec mihi displiceat maculis insignis et albo.
 Aen. 4, 134. ostroque insignis et auro.
 6, 12. magnam cui mentem animumque.
 2, 152. Ille dolis instructus et arte Pelasga.
 5, 405. plumbo insuto ferroque rigeabant.
 152. turbam inter fremitumque.
 9, 202. Argolicum terrorem inter Troiaeque labores.
 G. 3, 158. Continuo notas et nomina gentis inurunt.
 Aen. 5, 337. Plausuque volat fremituque secundo.
 12, 293. Involvitur aris in caput inque humeros.
 4, 460. Hinc exaudiri voces et verba vocantis.
 11, 157. Vota precesque meae.
 5, 438. Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
 4, 475. Tempus secum ipsa modumque exigit.
 5, 209. Ferratasque trudes et acuta cuspide contos.
 5, 53. Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas.
 5, 423. Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque.
 G. 1, 269. Fas et iura sinunt.
 Aen. 5, 293. Iaculo cervos cursuque fatigat.
 12, 822. Cum iam leges et foedera iungent.
 G. 2, 394. Lanceas et liba feremus.
 G. 1, 456. Omnia nunc pariter vento nimisque videbis fervere.
 Aen. 9, 280. Tibi maxima rerum verborumque fides.
 260. Quaecumque mihi fortuna fidesque est.
 4, 597. Et dextra fidesque.
 8, 487. Et sanie taboque fluentes.
 6, 615. forma fortunave.
 8, 717. Laetitia ludisque viae plausuque fremebant.
 9, 317. Passim somno vinoque per herbam Corpora fusa vident.
 1, 164. Vastae rupes geminique minantur In coelum scopuli.
 204. Per varios casus, per tot discrimina rerum.
 238. Occasum Troiae tristisque ruinas.
 258. Cernes urbem et promissa Lavini Moenia.
 278. His ego nec metas rerum nec tempora pono.
 293. Dirae ferro et compagibus artis Claudentur belli portae.
 304. Quietum — animum mentemque benignam.
 545. bello maior et armis.
 636. Munera laetitiamque dii.
 657. At Cytherea novas artes, nova pectore versat Consilia.
 661. Domum — ambiguam Tyriosque bilingues.

Poetae duo substantiva ponunt, quorum alterum genitivo casu dicitur.

- Aen. 1, 112. Atque aggere cingit arenae.
 122. laxis laterum compagibus omnes
 Accipiunt inimicum imbrem.
 162. Insula portum Efficit obiectu laterum.
 233. Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.
 324. Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
 329. An Nympharum sanguinis una.
 556. Nec spes iam restat Iuli.

- Aen. 1, 557. At freta Sicaniae saltem petamus.
 618. genuit Simoentis ad undam.
 300. Volat ille per aera magnum Remigio alarum.
 250. Coeli quibus adnuis arcem.
 566. Ac tanti incendia belli.
 2, 458. Evado ad summi fastigia culminis.
 235. pedibusque rotarum subiiciunt lapsus.
 333. Stat ferri acies mucrone corusco.
 554. Haec finis Priami fatorum.
 3, 520. Velorum pandimus alas.
 574. Attollitque globos flammaram.
 45. ferrea telorum seges.
 4, 152. Ecce ferae saxi deiectae vertice caprae.
 4, 512. Sparserat et latices simulatos fontis.
 5, 273. Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens.
 5, 70. meritaque expectant praemia palmae.
 319. ventis et fulminis ocior alis.
 6, 560. Quae scelerum facies.
 854. pacisque imponere morem.
 625. omnis scelerum comprehendere formas.
 7, 6. Aggere composito tumuli.
 18. Ac formae magnorum ululare luporum.
 8, 23. radiantis imagine lunae.
 10, 144. quem aggere moerorum sublimem gloria tollit.
 546. Et totum clypei ferro deiecerat orbem.
 553. Loricam clypei que ingens onus impedit hasta.
 11, 530. Hic iuvenis nota fertur regione viarum.
 66. Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
 12, 819. Nulla fati quod lege tenetur.
 E. 5, 26. nec graminis attigit herbam.
 G. 1, 164. iniquo pondere rastri.
 261. vomeris obtusi dentem.
 3, 121. Neptunique ipsa deducat origine gentem.

Quum adiectiva significantia pauca tantum in lingua Latina reperiantur, poetae aliis modis huic penuriae studuerunt mederi*).

Primum enim adiectivum numero plurali ponunt et genere neutro ut strata viarum, id quod fere est stratae viae.

- Aen. 1, 422. Miratur portas strepitumque et strata viarum.
 262. Longius et volvens fatorum arcana movebo.
 384. Libyae deserta peragro.
 2, 332. obsedere alii telis angusta viarum.
 5, 695. tonitruque tremiscunt ardua terrarum.
 8, 221. Et aetherii cursu petit ardua montis.
 333. Pelagique extrema sequentem.
 11, 319. Exercent collis atque horum asperrima pascunt.
 G. 3, 460. Et inter ima ferire pedis salientem sanguine venam.
 Aen. 11, 882. tuta domorum.

*) Haud absurdum est omnia adiectiva significantia, quae apud Virgilium leguntur, colligere, ut intelligatur, quam angusto gyro clausi fuerint Romani poetae. Namque adiectiva ut magnus, immensus, immanis, fortis, horrendus, vix digna videntur quae significantia et poetica dicas.

Deinde adiectiva significantiora procedunt adiecto substantivo.

- Ecl. 2, 20. quam dives pecoris.
 G. 2, 170. Scipiadas duros bello.
 223. Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
 3, 289. Nec sum animi dubius.
 4, 128. Nec fertilis illa iuvenis.
 Aen. 1, 178. Expediunt fessi rerum.
 350. securus amorum.
 445. Sic nam fore bello egregiam ac facilem victu per saecula gentem.
 2, 61. fidens animi.
 4, 38. terra triumphis dives.
 188. tam ficti praviq[ue] tenax.
 529. At non infelix animi Phoenissa.
 5, 202. furens animi.
 295. Euryalus forma insignis viridique senecta.
 9, 255. atq[ue] integer aevi.
 336. insignis facie.
 10, 225. Quarum quae fandi doctissima.
 435. Egregii formae.
 11, 417. Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
 Egregiusque animi.

Verba accommodantur orationi poeticae variis modis.

Verbum in duo disiungitur.

- Aen. 1, 157. Defessi Aeneadae quae proxima littora cursu
 Contendunt petere.
 630. Non ignara mali miseris succurrere disco.
 720. Incipit et vivo tentat praevertere amore
 Iam pridem resides animos desuetaque corda.
 2, 12. Quamquam animus meminisse horret.
 165. Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium.
 627. (Ornum) quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
 Ernere agricolae certatim.
 3, 451. Nec revocare situs aut iungere carmina curat.
 4, 281. Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras.
 5, 262. Donat habere viro.
 6, 198. Quo tendere pergant.
 584. Qui manibus magnum rescindere coelum aggressi.
 614. Ne quaere doceri.
 9, 200. Mene igitur socium summis adiungere rebus, Nise, fugis.
 10, 118. Interea Rutuli portis circum omnibus instant
 Sternere caede viros.
 11, 704. Consilio versare dolos ingressus et astu.
 12, 586. Et pergunt defendere muros.
 676. absiste morari.
 Ecl. 2, 32. Pan primus calamos cera coniungere plures
 Instituit. cf. 5, 30. G. 1, 148.
 G. 4, 117. Et terris festinem advertere proram.
 249. Incumbunt generis lapsi sarcire ruinam.
 Aen. 9, 507. Et fossas implere parant ac vellere vallum.
 518. Nec curant caeco contendere Marte.

Simplex verbum disiungitur in substantivum et verbum; quae forma admodum frequens est.

- Aen. 1, 181. Et omnem prospectum late pelago petit, i. e. prospicit.
 54. Luctantis ventos tempestatesque sonoras
 Imperio premit, i. e. imperat.
 236. qui terras omni ditioe tenerent.
 274. Geminam partu dabit Ilia prolem, i. e. pariet.
 270. Triginta magnos orbis imperio explebit, i. e. regnabit.
 340. Imperium Dido Tyria regit urbe profecta.
 730. Tum facta silentia tectis.
 410. gressumque ad moenia tendit.
 2, 271. largos effundere fletus.
 302. Executio somno.
 478. Et flammam ad culmina iactant.
 4, 370. Num lacrimas victus dedit, i. e. lacrimavit.
 119. In nemus ire parant ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan.
 284. Quae prima exordia sumat.
 477. ac spem fronte serenat.
 474. Ergo ubi concepit furias.
 6, 159. Et paribus curis vestigia figit.
 543. At laeva malorum exercet poenas.
 7, 798. Rutulosque exercet vomere colles.
 8, 257. Seque ipse per ignem Praecipiti iniecit saltu.
 388. Cunctantem amplexu molli fovet.
 9, 62. Tuti sub matribus agni balatum exercet.
 291. Hanc sine me spem ferre tui.
 429. Imperiumque pater Romanus habebit.
 504. At tuba terribilem sonitum (dedit) increpuit.
 553. Et saltu supra venabula fertur.
 815. Tum demum praecipit saltu sese omnibus armis in fluvium dedit.
 10, 870. Sic cursus rapidos dedit, i. e. cucurrit.
 11, 50. Vota facit.
 99. gressumque in castra ferebat.
 613. primique ruinam dant sonitu ingenti, i. e. corruunt.
 12, 326. Saltuque superbus Emicat in currum.
 463. Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
 681. Et e curru saltum dedit ocius arvis.
 503. Quis carmine caedes expediat.
 763. Quinque orbis explent cursu.
 909. Nequidquam avidos extendere cursus Velle videmur.
 G. 1, 403. Nequidquam seros exercet noctua cantus.
 2, 505. Hic petit excidiis urbem.
 370. Tum denique dura Exerce imperia.
 3, 141. Et saltu superare viam sit passus.
 4, 522. Et se iactu dedit aequor in altum, i. e. deiecit.
- Verbum dispescitur in verbum et participium.
- Aen. 1, 262. Longius et volvens fatorum arcana movebo, i. e. evolvam.
 372. O Dea, si prima repetens ab origine pergam.
 482. Diva solo fixos oculos aversa tenebat, i. e. fixerat.
 495. Obtutuque haeret defixus in uno.
 191. Et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

- ba Aen. 2, 131. Unius in miseri exitium conversa tulere, i. e. converterunt.
 362. Quis funera fando explicet.
 770. Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
 3, 403. Quin ubi transmissae steterint trans aequora classes, i. e. essent.
 1, 161. Inque sinus scindit sese unda reductos, i. e. reducitur.
 4, 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet.
 6, 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat.
 10, 120. At legio Aeneadam vallis obsessa tenetur.
 727. Et haeret visceribus super incumbens.
 500. Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
 G. 3, 104. Ruuntque effusi carcere currus.

Verbis adiicitur adverbium.

- G. 2, 231. Alte que iubebis
 In solido puteum demitti omnemque repones
 Rursus humum.
 Aen. 1, 165. Et desuper imminet urbi.
 3, 50. Infelix Priamus furtim mandarat alendum.
 290. Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
 7, 465. Atque alte spumis exuberat amnis.
 9, 771. Cum galea longe iacuit coma.
 10, 572. Atque illi longe gradientem et dira frementem Ut videre.
 726. Gaudet hians immane.
 11, 860. Et duxit longe.
 865. Illum exspirantem socii atque extrema gementem.
 12, 594. Quae totam luctu concussit funditus urbem.
 G. 3, 533. Ergo aegre rastris terram rimantur.
 4, 431. Exsultans late rorem dispersit amarum.

Denique duo verba eiusdem aut similis significationis iuxta ponuntur; id quod in substantivis etiam usu venire supra vidimus.

- Aen. 1, 18. iam tum tenditque fovetque.
 2, 374. Alii rapiunt incensa feruntque Pergama.
 4, 381. I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
 581. Idem omnis simul ardor habet rapiuntque ruuntque.
 8, 150. Accipe daque fidem.
 9, 517. Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque.
 10, 433. Hinc Pallas instat et arguet.
 G. 2, 366. Carpendae manibus frondes interque legendae.

De similitudine sonorum apud Virgilium obvia, alia occasione oblata, cf. Schlüteri dissertat. de Veterr. Latinn. alliteratione cum nostratium comparata. Arnsberg, 1840. At dicat aliquis, omnes eae formae dicendi, quarum mentio facta est, etiam in pedestrem orationem quamvis parcius cadunt. Recte. Et eam ob causam has quas recensuimus formas Latinae linguae proprias et peculiare nuncupavimus nec tam ab imitatione Graecorum tractas quam in ipso Latio natas. Hinc omnia ea, quae licet pedestri oratione scripta tamen ob alias causas maiores sibi spiritus sumere debebant, ad hanc dicendi similitudinem accedunt. cf. carmen quo Romani consuerunt deos tutelares ex captis urbibus evocare, ap. Macrob. II, 9. et alia eius generis.